



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Karoli M. epistola generalis ad Archiepiscopos regni Francorum, de  
ceremoniis baptismi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

## EPISTOLA GENERALIS

AD ARCHIEPISCOPOS REGNI FRANCORVM.

Data, ut viderur, eodem anno quo superiora duo  
Capitularia interrogationis.

**I**N nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Karolus serenissimus Augustus à Deo coronatus, magnus, pacificus Imperator, [Romanorum] gubernans imperium, qui & misericordia Dei Rex Francorum & Longobardorum, Odilberto Archiepiscopo in Domino salutem. Sæpius tecum immo & cum ceteris collegis tuis familiare colloquium de utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ habere voluissemus, si absque molestia corporali id efficere potuisses. Sed quamvis sanctitatem tuam in divinis rebus tota intentione vigilare non ignoremus, omittere tamen non possumus quin tuam devotionem sancto incitante Spiritu nostris apicibus compellamus atque commoneamus ut magis ac magis in sancta Dei Ecclesia studiosè ac vigilantibus cura laborare studeas in prædicatione sanctæ & doctrina salutari: quatenus per tuam devotissimam sollicitudinem verbum vitæ æternæ crescat & currat, & multiplicetur numerus populi Christiani in laudem & gloriam salvatoris nostri Dei. Nosse itaque per tua scripta aut per te ipsum volumus qualiter & tu & suffraganei tui doceatis & instruatis Sacerdotes Dei & plebem vobis commissam de baptismi sacramento, id est, cur primò infans catechumenus efficitur, vel quid sit catechumenus, deinde per ordinem omnia quæ aguntur. De scrutinio, quid sit scrutinium. De symbolo, quæ sit ejus interpretatio secundum Latinos. De credulitate, quomodo credendum sit in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Filium ejus, & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, & cetera quæ sequuntur in eodem symbolo. De abrenuntiatione Satanæ & omnibus operibus ejus & pompis. Quid sit abrenuntiatione, & quæ opera diaboli & pompæ ejus. Cur insufflatur, & cur exorcizatur. Cur catechumenus accipit salem. Quare tangantur nares, pectus ungetur oleo, cur scapulæ signantur, & quare pectus & scapulæ lavantur. Cur albis induitur vestimentis; cur sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, & cur corpore & sanguine dominico confirmatur. Hæc omnia subtili indagine per scripta nobis, sicut diximus, nuntiare satage; & si ita teneas & prædices, aut si in hoc quod prædicas te ipsum custodias. Bene vale, & ora pro nobis.

